

dæmonem cogendo vel etiam dæmon desistendo. Non enim oportet semper ut id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confitentur: & tamen si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputatur: quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia invocare. Similiter non oportet quod si propter peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem, cessante peccato cesset potestas: quia pœna interdum remanet culpa transeunte. Similiter etiam exorcismi Ecclesiæ non valent ad reprimendum dæmones semper quantum ad omnes molestias corporales, iudicio divino hoc exigente; semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum contra quas principaliter instituta sunt.

Ad quartum dicendum, quod maleficium quandoque potest præstare impedimentum ad omnes, quandoque ad unam tantum: quia diabolus voluntaria causa est non ex necessitate naturæ agens. Et præterea impedimentum malefici potest esse ex impressione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam.

ARTICULUS IV.

Utrum furia impediatur matrimonium.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod furia non impediatur matrimonium. Matrimonium enim spirituale, quod in baptismo contrahitur, est dignius quam carnale. Sed furiosi possunt baptizari. Ergo & matrimonium contrahere.

2. Præterea. Frigiditas impedit matrimonium, in quantum impedit carnalem copulam, (1) quæ non impeditur per furiam. Ergo nec matrimonium.

3. Præterea. Matrimonium non dirimitur nisi per aliquod impedimentum perpetuum. Sed de furia non potest sciri quod sit impedimentum perpetuum. Ergo non dirimit matrimonium.

4. Præterea. In versibus prædictis sufficienter continentur impedimenta dirimentia matrimonium. Sed ibi non fit mentio de furia. Ergo &c.

Sed contra. Plus tollit rationis usum furia quam error. Sed error impedit matrimonium. Ergo & furia.

Præterea. Furiosi non sunt idonei ad aliquem contractum faciendum. Sed matrimonium est contractus quidam. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod furia aut præcedit matrimonium, aut sequitur. Si sequitur, nullo modo dirimit matrimonium. Si autem præcedit, aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo non sit tutum quod matrimonium contrahat, quia nescit prolem educare; tamen si contrahit, matrimonium est. Si autem non habet, vel si quando non habet, contrahit; tunc quia non potest esse consensus ubi deest rationis usus, non erit verum matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod usus rationis non exigitur ad baptismum quasi causa ipsius, sicut exigitur ad matrimonium: & ideo non est similis ratio. Tamen de baptismo furiosorum supra dist. vi. dictum est.

Ad secundum dicendum, quod furia impedit ma-

(1) Nicolai: Sed carnalis copula non impeditur.

rimonium ratione causæ suæ, quæ est consensus, quamvis non ratione actus, ut frigiditas. Sed tamen simul cum frigiditate Magister determinat, quia utrumque est quidam naturæ defectus.

Ad tertium dicendum, quod momentaneum impedimentum, quod causam matrimonii, scilicet consensus, impedit, matrimonium totaliter tollit. Sed impedimentum quod impedit actum, oportet esse perpetuum ad hoc quod matrimonium tollat.

Ad quartum dicendum, quod hoc impedimentum reducitur ad errorem: quia utrobique defectus consensus ex parte rationis est.

ARTICULUS V.

Utrum incestus quo quis cognoscit sororem uxoris suæ, matrimonium dirimat.

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod incestus quo quis cognoscit sororem uxoris suæ matrimonium non dirimat. Quia mulier non debet puniri pro peccato viri. Sed puniretur, si matrimonium solveretur. Ergo &c.

2. Præterea. Plus peccat qui propriam consanguineam cognoscit, quam qui cognoscit consanguineam uxoris. Sed primum peccatum non impedit matrimonium. Ergo nec secundum.

3. Præterea. Si in pœnam peccati hoc infligitur, videtur, etiam si mortua uxore cum alia contrahat incestuosus, quod separari debeant; quod non est verum.

4. Præterea. Hoc etiam impedimentum non connumeratur inter alia supra enumerata. Ergo non dirimit contractum matrimonium.

Sed contra, quia per hoc quod cognoscit sororem uxoris, contrahitur affinitas ad uxorem. Sed affinitas dirimit matrimonium contractum. Ergo & incestus prædictus.

Præterea. In quo quis peccat, in hoc punitur. Sed talis peccat contra matrimonium. Ergo debet puniri, ut matrimonio privetur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod si aliquis cognoscit sororem, aut aliam consanguineam uxoris suæ ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari ratione affinitatis contractæ. Si autem post matrimonium contractum, & consummatum, non debet totaliter separari matrimonium; sed vir amittit jus petendi debitum, nec potest petere sine peccato; sed tamen debet reddere petenti, quia uxor non debet puniri de peccato viri. Sed post mortem uxoris debet omnino manere absque spe conjugii, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cui timetur de illicito coitu. Si tamen præter dispensationem contrahat, peccat contra statutum Ecclesiæ faciens; non tamen propter hoc matrimonium separandum est.

Et per hoc patet solutio ad objecta: quia incestus ponitur matrimonii impedimentum non tam ratione culpæ, quam ratione affinitatis quam causat: & ideo etiam non connumeratur aliis impedimentis, sed in impedimento affinitatis includitur.

EXPOSITIO TEXTUS.

MAneant uterque innupti. Hoc intelligitur quando ex utroque impedimentum allegatur: alias illud tantum innuptus manere debet ex cuius parte impedimentum proponitur.

Quod si mulier causetur, & dicat: Volo esse mater, & filios procreare &c. Videtur ex hoc quod ratione sterilitatis matrimonium solvi possit. Et dicendum, quod non: quia in sterilibus etsi matrimonium non habeat intentum suum, secundum quod est in officium naturæ, habet tamen secundum quod est in remedium per carnalem copulam: unde ponitur hic procreatio filiorum pro carnali copula, quam mulieres verecundantur expetere.

Septima manu propinquorum juret quod nunquam carnaliter convenerint. Divortium hoc modo fieri debet. Cum impotentia coeundi allegatur, si uterque confiteatur, scilicet vir, & uxor, (1) vel si est evidens impedimentum, ut in eunuchis, possunt statim separari. Si autem non est evidens, præcipiendum est eis ut adhuc cohabitent bona fide carnali copulæ operam dantes. Quod si usque ad triennium fieri nequit, tunc jurabit uterque quod bona fide operam dantes, carnaliter conjungi non potuerunt: & ut divortium non de facili celebretur, requiritur quod septem de propinquis, qui melius de hoc possunt per signa probabilia scire veritatem, jurent quod credant eos verum dixisse.

Perjurii (2) crimine rei teneantur; idest eorum testimonium ita pro nihilo computatur ac si perjurii essent; non tamen culpam (3) aut infamiam perjurii incurrunt, si eos verum dicere credebant.

Sed si vir asserit se debitum reddidisse uxori, & illa

diffitetur, cui potius fides habenda sit, merito queritur. Item sciendum, quod quando vir asserit copulam carnalem præcessisse, mulier negat; standum est juramento viri, nisi per aspectum corporis sui mulier probare velit virum esse mentium. Si tamen vir falsum jurat, & uxor contrarium non possit probare, potest sibi providere de seorsum jacendo, ne ex impetitione viri ad libidinem provocetur, & periculum incontinentiæ imminet. Si autem vir neget carnalem copulam præcessisse, non est standum juramento ejus, quamvis sit caput mulieris, si mulier affirmet: quia sic daretur facultas multis viris dimittere uxores suas.

Quod in fine hujus capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est quam ex canonica aequitate. Sciendum est, quod si maleficium fuerit generaliter respectu cujuslibet faciens impotentiam coeundi, tunc si alteri nupsérît, ostendetur impedimentum non fuisse perpetuum: unde debet ad prius conjugium redire. Si autem fuerit personale, idest respectu specialis personæ, cum utriusque detur licentia alteri nubendi; non potest reddita potentia nubendi ad pristinum matrimonium redire, quia nullum fuit, & secundum est verum matrimonium.

Sed si contractum fuerit, non separentur. Hoc intelligitur, si fuit contractum quando habebant lucida intervalla.

Nec propriæ uxori licet sibi reddere debitum. Hoc non tenetur modo. Vel dicendum, quod reddere debitum vocat universaliter carnalem copulam, qua privatus est quantum est ex parte sua, quamvis uxori suum jus remaneat. Quamvis enim matrimonium non claudicat, tamen jus petendi debitum potest esse in uno, & non in alio.

DISTINCTIO XXXV.

Eodem jure utitur vir, & mulier.

HOC etiam notandum est, quod cum Dominus concedat viro uxorem dimitti causa fornicationis, eadem licentia non tollitur fœminis. Unde Hieronymus, epist. xxx. ad Oceanum, seu in epitaph. Fabiolæ: „Præcepit Dominus uxorem non dimitti, excepta causa fornicationis; & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Non enim adultera uxor dimittere da est, & vir mœchus tenendus.“ Item ibidem: „Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem servitas pari conditione censetur.“ Ex his ostenditur, quod mulier potest super fornicatione virum convenire, ut vir mulierem. Unde Innocentius Papa: (a) „Christiani religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat; sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant; viri autem liberius uxores suas adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt: & ideo mulieribus prodito earum crimine negatur communitio; virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus arcetur; qui tamen submovebitur, si ejus flagitium detegatur.“

Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi ipse (4) expers fuerit, & è converso.

SI vero queritur, an adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis; dicimus, quia nequit adultera uxor dimittere a viro, nisi & ipse expers fornicationis existat, & è converso. Unde Augustinus Lib. I. de sermone Domini in monte, cap. xxviii. „Nihil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud, Rom. 11. 1. In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus, quod similiter & de fœmina dixerim.“ Idem: (b) „Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas.“ Ex his apparet quod adulter adulteram dimittere non valet, & non è converso.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. dicit vel. (2) Al. Perjurii enim crimen &c. (3) Al. ante. (4) Addit Nicolai fornicationis. Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Epist. 111. cap. 1v. (b) Lib. II. de adulterinis conjugii cap. viii.

Quod possunt reconciliari qui separantur causa fornicationis.

SI quis autem fornicationis expert fornicariam dimiserit, alii copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire: sic & de femina. Unde & Apostolus, I. Corinth. vii. 10. „His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, maneat in nupta, aut viro suo reconcilietur: & de viro addit: „Et vir uxorem non dimittat.“ Sed Ambrosius (Ambrosiaster) super eundem locum, ait: „(5) Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere.“ Sed hoc à falsariis in Ambrosii Libro positum creditur. Supplendum enim esse in viro, quod ibi de uxore præmisit, aperte dicit Augustinus sic, de sermone Domini in monte Lib. I. cap. xxv. vel xiv. „Quare non addit de muliere quod præmisit de viro, nisi quod similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Idem paulo post „Si nec nubere illi conceditur vivo viro à quo recessit, nec huic alteram ducere viva uxore quam dimiserit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet supra committere.“ Idem ibid. paulo supra: „Ut non facile dimittatur uxor, Dominus solam fornicationis causam excepit, cæteras vero universas molestias, si quæ extiterint, jubet pro fide conjugali, & pro castitate fortiter sustineri; & mœchum dixit qui à viro solutam duxit.“ Ex his ostenditur, quod si causa fornicationis fit separatio, non potest vir, vel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari, & cohabitare sicut prius, si dimissum alter revocare voluerit.

Quæ prædictis videntur obviare.

Dicit tamen Joannes Chrysostomus: (c) „Sicut crudelis, & iniquus est qui castam dimittit; sic fatuus est, & iniquus qui retinet meretricem: patronus enim turpitudinis est qui celat crimen uxoris.“ Item Hieronymus: (d) „Cum mulier unam carnem in aliam dividerit, & se fornicatione à marito separaverit, non debet teneri, ne virum quoque sub maledictio faciat, dicente Scriptura, Proverb. xviii. 22. Qui tener adulteram, stultus est, & insipiens.“ Idem ad Amandum presbyterum scribens, epist. cxlvii. de quadam quæ viro suo vivente alii nupserat, sic ait: „Rem novam loquor, immo non novam, sed veterem, quæ veteris testamenti auctoritate confirmatur. Deuter. xxiv. Si relinquerit (6) secundum virum mulier, & reconciliari voluerit priori, non potest.“

Determinatio.

SED hæc omnia intelligenda sunt de illa quæ ab adulterio redire noluit, nec per penitentiam peccatum delere. Quod si vir scienter patitur, consentire videtur. Si enim in adulterio perseverare elegerit, patronus turpitudinis, & lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere voluerit. Si autem à peccato recesserit, & per penitentiam illud purgaverit, poterit viro reconciliari. Unde Augustinus: (e) „Quod tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjux (7) conjugii, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos credimus penitentia esse sanatos? Idem. (f) „Non erit turpis, nec difficilis, etiam post parata, & purgata adulteria, reconciliatio conjugii, ubi per claves regni cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur.“ (8) Item Gregorius: „Debet recipere peccatricem quæ penitentiam egit, sed non sæpe.“ Item Hermes: „Si vir scierit uxorem suam deliquisse, & non egerit penitentiam mulier; si permanet in fornicatione sua, & vir vivit cum illa, vir reus erit, & particeps peccati ejus. Quod si mulier dimissa egerit penitentiam, & voluerit ad virum reverti, debet recipere peccatricem, quæ penitentiam egit, sed non sæpe.“

De illis qui se ante polluerunt per adulterium.

SOlet etiam queri, an valeat duci in conjugium quæ prius est polluta per adulterium. De hoc Leo Papa ait: (g) „Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio.“ Item: (h) „Relatum est auri-

(5) Nicolai: ideo non etiam subdit de viro sicut de muliere, quod sic maneat, si discesserit, quia licet &c. (6) Nicolai suum. (7) Al. deest conjugii. (8) Nicolai. Item Gregorius hom. xxix. in Evang. „Si quod promisit, minime servavit, videamus utrum sciat plangere quod erravit. Apud misericordem namque judicem nec ille fallax habebitur qui ad veritatem revertitur etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus dum libenter nostram penitentiam suscipit, ipse suo judicio hoc quod erravimus abscondit.“ Licet enim id Gregorius de illis dicat qui omnibus antiqui hostis operibus, ac pompis in die baptismatis renuntiare promittentes, non servant post baptismum quod ante illum sponderat, sed ad prava opera dilabuntur, ac deinde plangentes lapsum suum suscipiuntur misericorditer à Deo, & apud illum veniam inveniunt; nihilominus in Decretis causa xxxii. quæst. 1. cap. Apud, speciatim foeminis applicatur quæ conjugibus fidem non servantes, penitentiam subinde agunt, & proinde ab ipsis conjugibus suscipi debent. Item Hermes, in Libro qui inscribitur Pastor: Si vir scierit &c. *Quem tamen Pastoris Librum ut apocryphum rejici à Gelasio in Decretis dist. xv. cap. Sancta Romana, ad marginem notat.*

Ex Edit. P. Nicol. (c) Hom. xxxii. in Matth. Sive Auctor operis imperfecti sub S. Chrysostomi nomine in Decretis relatus causa xxxii. quæst. 1. cap. Sicut. (d) In Matth. cap. xix. (e) Ad Pollentium de adulterinis conjugis Lib. II. cap. vi. Sed appendices ex Augustino subsequentes cap. Quod autem sibi, & cap. Non erit. (f) Eodem Lib. cap. ix. (g) Eius nomine in Decretis referitur causa xxxii. cap. Nullus absque indice speciali, nec tale quiddam apud illum occurrit; sed hoc ipsum potius colligitur ex Concilio Triburien- si quod ibidem referitur, cap. Illud vero, ut & sequens appendix cap. Relatum est, sed cap. Denique referuntur quæ subjunguntur ex Augustino. (h) Ex eodem Concilio Triburien- si.

bus Sanctorum sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violasse, & insuper mœchæ juramentum dedisse, quod post legitimi mariti mortem, si superviveret, duceret eam in uxorem; quod factum est. Tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus. His, aliisque auctoritatibus vetatur in conjugium copulari qui se prius adulterio macularunt. Sed è contra Augustinus ostendit, dicens; Lib. I. de nuptiis, & concupiscentiis, cap. x. „Denique mortuo eo cum quo fuit verum conjugium, fieri potest conjugium cum qua præcessit adulterium.“ Idem: (i) „Posse fieri sane licitas nuptias ex personis illicite conjunctis honesto placito subsequente manifestum est.“

Determinatio.

SED hæc ultima auctoritas de concubinis loquitur, perhibens concubinas posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem, & fidem servare velint. Prima vero auctoritas Augustini de illis ait qui de peccato penituerunt, & nihil in mortem viri machinati sunt, nec vivente viro fidem adulteræ dedit mœchus, quod eam in conjugio duceret, si superviveret. Qui vero hæc faciunt, aliis præmissis auctoritatibus prohibentur copulari.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit de impotentia coeundi, quæ actum matrimonii impedit, hic determinat de separatione à thoro propter peccatum fornicationis, quæ similiter actum matrimonii tollit vinculo matrimoniali durante: & dividitur in partes duas. In prima ostendit quomodo adulterium sequens matrimonium tollit actum matrimonii vinculo matrimoniali durante. In secunda ostendit quomodo adulterium præcedens matrimonium etiam matrimoniale vinculum tollit, ibi: *Solet etiam queri, an valeat duci in conjugium quæ prius est polluta per adulterium.* Prima in duas. In prima ostendit quando licet uxorem dimittere propter fornicationem. In secunda inquiri, utrum dimittere sit necessitatis, an liceat ei eam retinere, ibi: *Dicit tamen Joannes Chrysostomus &c.* Prima in duas. In prima ostendit quod viro licet dimittere uxorem, & è converso, propter fornicationem commissam. In secunda ostendit quod nevir post separationem licet nubere propter prioris matrimonii vinculum manens, ibi: *Si quis autem fornicationis expert fornicariam dimiserit, alii copulari non potest.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod uterque conjugum potest alium dimittere propter fornicationem, quando ipse est à fornicatione immunis. Secundo ostendit quod hoc non potest fieri, quando ipse simili crimini subiacet, ibi: *Si vero queritur, an adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis; dicimus &c.*

QUESTIO I.

HIC queruntur sex.

Primo. Utrum liceat viro uxorem dimittere causa fornicationis.

Secundo. Utrum ad hoc teneatur.

Tertio. Utrum possit dimittere proprio judicio, vel judicium Ecclesiæ requiratur.

Quarto. Utrum vir, & uxor quantum ad hoc sint æqualis conditionis.

Quinto. Utrum post divortium debeant manere in nuptiis.

Sexto. De reconciliatioe.

ARTICULUS I.

Utrum propter fornicationem liceat viro uxorem

dimittere.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod propter fornicationem non liceat viro uxorem dimittere.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Addit Nicolajus, extra de divortis, cap. Gaudemus prope finem.

Ex Edit. P. Nicolai. (2) Lib. de bono conjugali cap. xv.

rem dimittere. Non enim pro malo est malum reddendum. Sed vir dimittere uxorem propter fornicationem, videtur malum pro malo reddere. Ergo hoc non licet.

2. Præterea. Majus peccatum est, si uterque fornicetur quam si alter tantum. Sed si uterque fornicetur, non poterit fieri divortium propter hoc. Ergo nec si unus tantum fornicatus fuerit.

3. Præterea. Fornicatio spiritualis, & quædam alia peccata sunt graviora quam fornicatio carnalis. Sed propter illa non potest fieri separatio à thoro. Ergo nec propter fornicationem carnalem.

4. Præterea. Vitium contra naturam magis remotum est à matrimonii bonis quam fornicatio, quæ modo naturæ fit. Ergo magis debuit poni causa separationis quam fornicatio.

Sed contra est quod dicitur Matth. v.

Præterea. Illi qui frangit fidem, non tenetur aliquis fidem observare. Sed conjux fornicando frangit fidem quam alteri conjugi debet. Ergo alter potest alterum propter causam fornicationis dimittere.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in poenam illius qui fidem fregit, & in favorem illius qui servavit, ut non sit astrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem. Et propter hoc excipiuntur septem casus in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor à culpa immunis est, vel utriusque sunt æqualiter culpabiles.

Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit. Secundus, si ipse uxorem prostituerit. Tertius, si uxor virum suum mortuum probabiliter credens propter longam ejus absentiam, alteri nupserit. Quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subtrahente. Quintus, si fuerit vi oppressa. Sextus, si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens. Septimus, si matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupserit tunc enim si utriusque convertantur, tenetur eam vir recipere. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod vir si dimittat uxorem fornicantem livore vindictæ, peccat; si autem ad infamiam propriam cavendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandum prolis incertitudinem, non peccat.

Ad secundum dicendum, quod divortium ex causa fornicationis fit uno accusante alium: & quia nullus

Q2